

05

A

1229





In Honorem Benedicti Seminio

**COLLEGII ORATORII
DISPUTATIO**

De

GENERIBUS CAUSSARUM:

Et in specie Demonstrativa,

De

PANEGYRICO:

Quam

Sub umbone Altissimi,

*ad diem 30. April. A. Salvatoris
M. DC. LVI.*

in Illustri ad Albim Academia

PRÆSIDE

M. JOHANNES HERBINIO;

*publica Eruditorum disquisitioni
fistit,*

JOHANNES ROTLEBEN

Holm. Svecus.

in Auditorio minori, horis matutinis.

WITTEBERGÆ

Literis exscribebat JOHANNES RÖHNERUS, Academ. Typogr.





05 A 1229





Σὺν Θεῷ

Prooemium.



Ognitâ Rhetorices & Eloquentiæ naturâ in definitione, divisione, e-
 jusq; fine: ad ulteriora descendere
 haud levis momenti res jubent.
 Debebat autem in ordine succes-
 sisse^D isquisitio de Inventione argumentorum ad
 fidem conciliandam facientium Sed consultò,
 quod planum, breve & obvium ubique est, ne-
 que magni adeo momenti controversias conti-
 net, obiter ejusdem in Disputatione præce-
 dente factâ mentione, præterimus. Majoris erit
 momenti, Causarum Generibus præliba-
 tis, in specie Demonstrativum, & quidem PA-
 NEGYRICUM paulló accuratiùs considerare.
 Quod ut succedat, munerum Largitor faxit
 Pater!

SECTIO I.

§.1. Genera Causarum definiuntur vel (α) ex Nomine,
 & dicuntur i. Rhet. c. 3. εἶδη τῶν ῥητορικῶν λόγων, species Rhetor-
 icarum orationum. (β) Ex Re, & sunt certæ classes, ad quas sin-
 gulæ quæstiones revocari, ex iisdemq; convenientes argumen-
 torum loci, quibus legitimè tractantur, erui possunt.

A 2

§.2. Re.



§. 2. Recēptum est apud Rhetōres, tria Caussarum seu *ἑρμηνείων* esse Genera: *Demonstrativum, Deliberativum, & Juridiciale*. Et quanquam nonnulli Didascalicum addant: tamen, quia illud cathedras in Scholis & Ecclesijs docentium magis occupat, quàm Rostra Oratorum, minùs Rhetoricum meritò audit; atque ita nec Caussarum Oratoriarum Generibus accenseri debet, Id quod Aristotelis & Vossii autoritate nititur.

§. 3. *Subjectione* aliud est Genus *simplex*, quod uni soli themati seu orationi accommodatum purè est: aliud *mixtum*, quatenus in unâ Oratione plura Genera miscentur. Exemplum ejus habemus in Orat: pro Archia Poëta, quæ in Juridicali Genere formata, Actore Graccho, Reo Archia, Judice Senatu, Patrono Cicerone; tamen & Demonstrativum & Deliberativum continet. Quam confundendi licentiam sibi Orator potest, re ita postulante, sumere; imò elegans valdè est *ἀτάξια* ista: sicuti præceptorum ordinisquè Rhetorici nimia tenacitas servilis & mancipiorum est. Nihilominus à potiori & prædominante Genere denominabitur oratio v. g. Oratio pro Archia est in Genere Juridicali; quia magis defendit in eâ Archiam ejusquè civitatem, contra Gracchum.

§. 4. Differentia autem classium harum magna est. Etenim differunt causis, effectis & adjunctis. I. *Causis* & quidem I. *Externis* (α) *Efficiente* subiecto. Demonstrativo namque uti solent Panegyristæ Poëtæ, scholasticiquè Rhetores. Deliberativo Politici, Legati, Consiliarij seu Philosophi in Republicâ Juridicali Caussarum Patroni. (β) *Fine*; eoquè non ultimò, sed intermedio & interno, qui Demonstrativo est Honestum ac turpe: Juridicali, justitia & iniquitas. Deliberativo utilitas & inutilitas 2. *Internis* (α) *Materia*. Demonstrativum quippe versatur circa virtutes & vitia, res, gestaquè Personarum. Deliberativum circa consultationem. Judiciale in controversijs forensibus. (β) *Formâ*. Demonstrativum laudat vel vituperat. Deliberativum suadet & dissuadet: Judiciale accusat vel defendit. II. *Effectis discrepant*. In Demonstrativo enim est amor virtutis seu personarum, ac detestatio vitiorum. In Judiciali causæ gloria. In Deliberativo spes, vel metus. III. Jam quæ in *Adjunctis*.

junctis est discordia? (α) *Affectus* suos Panegyrista dirigit ad vo-
 luptatem atque delectationem. Actor vel Patronus causæ uti
 irascitur vel miseretur ipse: ita, alios idem facere, conten-
 dit. Consiliarius aut bona sperat, aut mala timet, quæ præ-
 visa minus nocere solent. (β) Neque uno eodemque conveni-
 re loco volunt: cum aliud Olympicos conventus atque certami-
 na: aliud forum: aliud curiam sibi edecumat. Quin (γ) &
 tempore variant. Demonstr. refertur ad Præsens: Delib: ad Futu-
 rum: Juridiciale ad Præteritum. Denique IV. & auditorum
 genere. In Deliberativo namq; Auditor est Senator: in Demon-
 strativo ipse Auditor: in Juridicali Judex. Sed omnes hæ Dif-
 ferentiæ solummodò Genera simplicia, & non mixta concer-
 nunt.

SECTIO II.

§. 1. Præcognitis sic in Genere Causarum classibus,
 necessum esset ad singulas in specie descendere, easdemq; sin-
 gulariter ac distinctè excutere. Verùm non jam Institutiones
 (contenti Ciceronis, Fabij, Vosii, aliorumque libris) sed Exer-
 citationes Rhetoricas adornamus. Omisiss ergò Deliberativo
 & Juridicali Generibus, Demonstrativum proponemus, idem-
 que Panegyrico declarabimus.

§. 2. DEMONSTRATIVUM GENUS est, quod versa-
 tur in Personarum, factorum & rerum laude vel vituperio. Un-
 de & $\psi\epsilon\kappa\tau\iota\kappa\acute{o}\nu$ seu vituperatorium dicitur; quod eò improbi
 atque vitia perstringantur.

§. 3. Hujus *etymon* deducunt autores Latini à demonstnan-
 do Themate ad dicendum proposito. 1. quia hoc ipso Genere
 demonstrantur virtutes & vitia. 2. quia hoc ipso Orator potis-
 simum ostendit vim & eloquentiam. Græci vocant Genus $\epsilon\pi\delta\epsilon\iota\kappa\tau\iota\kappa\acute{o}\nu$
 ostentativum: derivantes illud $\delta\pi\acute{o}\tau\epsilon\epsilon\pi\delta\epsilon\iota\kappa\eta\upsilon\mu\iota$, o-
 stento.

§. 4. Demonstratio verò accipitur 1. Rhetoricè, quate-
 nus Rhetor in Rhetoricâ, Tyronem suum docendo, eidem ar-
 tis præcepta tanquam per causam demonstrat. Vide Orato-
 rem Extemporaneum. 2. Oratoriè, quatenus Orator Demons-
 tratio.

ratione locorum utitur, ad faciendam fidem. 3. *Logicè*, quando Majorem terminum jungimus Minori, mediante Medio: seu, quatenus rem per causas certas & necessarias demonstramus. Et hæc vera demum *ἀποδείξις* est. Sed hic loci non nisi per accidens adhibetur. Quippe Orator quæstionem à locis artificialibus, Causis, Effectis, Adjunctis, Comparatis, similibus: vel Inartificialibus, demonstrat ad fidem Auditoribus faciendam.

§.5. *Synonymia* Generis Demonstrativi sunt 1. τὸ ἐπιδεικτικόν, quod Quintilianus l.3.c.4. & Regius non tam Demonstrativum, quàm ostentativum vertit. Sed Jul. Scaliger l. 1. de re Poët.c.1.id negat. Accipi tamen aliquando pro ostentatione Isocrates, & ex eo Vossius l.1 Inst.c.5. docent, cujusmodi τὰς πρὸς ἐπιδείξεις λόγους, orationes quæ ostentationis gratiâ scribuntur. 2. ἐγκωμιαστικόν, quod à parte meliore laudativum ita dicitur: siquidem Genus hoc vituperium quoque continet. Ciceroni exornatio est. 3. πανηγυρικόν, de quo infra.

§.6. Sicuti autem Causa Efficiens Generis hujus seu *Subjctum* Orator est, instrumenta Rhetorica in laudem ac vituperium dirigens: ita *Objectum*, seu materia circa quam, sunt τὰ ἔκαστα; quæ adeò latè patent, ut nec universæ naturæ limitibus circumscribi queant. Voss. loc. cit. Determinantur tamen ab Auctoribus & enumerantur vulgò tria. 1. Persona, 2. Facta, 3. Res. Quia verò Bruta quoque vel eorundem Effecta seu Adjuncta laudantur (Aristoteles laudari docet, ἢ μόνον ἀνθρώπων ἢ θεῶν, ἀλλὰ καὶ ἀψυχα, καὶ τῶν ἄλλων τὸ τυχόν. Consentit & Fabius, l.3.c.9.) quæri potest & negari, Genus hocce Laudativum circa solam versari honesti quæstionem. Item: utrum ad personas referri debeant? Reductivè quidem, per ἀναλογίαν quandam, sub personis proponi bruta posse, evincunt Æsopi fabulæ, Aphthonij *πρὸς τὴν ποίησιν* &c. quæ in Scholis, ceu quasi Personæ, exercitationis causâ, à Rhetore, non sine certissimo tyronum fructu, proponuntur. In foro autem vel publico conventu Orator, (quem quæstio civilis deceat) ineptè laudabit *asinum, asinum, anserem, pulicem.*

§.7. For.

§. 7. *Forma* Demonstrationis in applicatione argumentorum ad materiam consistit. Sunt autem argumenta 1. *Confirmantia*, quæ petuntur vel ex locis principalibus, Honesto & Turpi: vel Minus Principalibus, utili scilicet, jucundo & æquo. 2. *Amplificantiæ*, per quæ transitur à Thesi ad hypothesin, vel viceversa.

§. 8. Dividitur in laudationem & vituperationem. Laudamus autem vel *μεγαλῶς* teriò: res scilicet laude dignas; vel *χαλεπῶς* non teriò: qualiter muscam laudat Lucianus, Asinum Heinsius, pulicem alius, &c. Immo laudes etiam Diaboli scripsisse quæpiam comperimus.

§. 9. Quia verò Generis Demonstrativi Themata infinita verè sunt, ad classes certas redacta meritiò sunt à Bartholino. Ita quidem, ut alia 1. sint Themata Panegyrica. 2. alia Themata Natalitia, Epithalamica & Funebria. 3. alia *εὐχαριστικά* seu gratulatoria. 4. alia Apopateria, Epipatheria, & Propemptica.

SECTIO III.

Panegyricus est Oratio in laudem Personæ illustris, in publico populi congressu, solemniter & magnificè habita.

§. 1. Quia à paucis admodum Panegyricorum ratio atque doctrina tractata est: & quotidie Panegyricus datur, ceterum eorundem rationem ediscere vix licet: ideoque ex professo cum, pro tenuitate nostra, tractare methodo receptâ, animus est.

§. 2. Vox autem ista Græca est, *ὑπὸ τῶν πανηγυρῶν*, à solemnibus conventiis dicta. *πανηγυρίς* enim publica est celebris.

britas, ex voce πᾶς omnis, & ἀγογῆ forum composita. Erant
autem solennes conventus, & quidem in Græcia, (cui oratio-
nes istiusmodi suam primò debent originem) in quibus, totà
sæpe confluente Græcià ad ludorum spectacula, Orationes ha-
bebantur in laudem virorum Illustrium ac bene de Republicâ
meritorum: eo fine, ut ijs auditores ad imitationem præclara-
rum virtutum accenderentur. Erat autem Panegyricorum
olim locus, in Græcia quidem in Olympieis campis: Romæ ve-
rò ad rostra, pro quibus laudabantur triumphantes, qui Patriæ
libertatem defenderant, hostesq; devicerant. Hodie locus indif-
ferens est, modò fiat in amplissimo populi confluxu.

§.3. Vocis, *Panegyrica*, nullam observare potuimus ha-
tenus ambiguitatem, siquidem species est certaquæ Demonstra-
tionis Oratoricæ classis. Nisi, quod Plinius, abusus Panegy-
rici nomine, orationem suam, in quâ Trajano in Senatu, pro col-
lato sibi Consulatu, gratias agit, quo cum titulo redderet au-
gustiores *πανεγμηνήν* inscripsit. Fiunt autem vel oratione
prosâ, vel metricâ.

§.4. Dicitur aliàs *πανηγυρίς* Hesychio *σύνοδος*. Alijs
συναγωγή. Latinis, & recentioribus quidem, Panegyricus, seu
Oratio solennis. Item Parentatio, Laudatio &c.

§.5. Definito præcognito, Definitio excutienda jam erit.
Genus Definitionis remotum est *oratio*; proximum *laudativa*.
Laudamus enim in sponsalibus & Epithalamijs Sponsores, Gen.
24. in Genethliacis fecunditatem ac benedictionem DEI, Psal.
128. In propempticis; bonam discedentis intentionem, & sic
porrò: *Differentiam Specificam* constituunt (α) Persona lau-
danda: non quævis, sed illustris ac bene merita. Ergo laudatio
brutorum, rerum, vel thematis alterius, Panegyrica esse haut
potest (β) *Locus* ac tempus scilicet publicus conventus, quales o-
lim in solemnibus ludis fiebant. (γ) *ratio* seu *modus orationis*:
quia oratio talis debet esse solennis, augusta magnifica. Celeb.
Vossius necessaria Panegyrici esse requisita vult, ut 1. recitetur:
aliàs Orationem non recitatam Panegyrici amittere titulum. 2.
ut memoriter recitetur. 3. ut non coram paucis; sed omnibus,
quantum fieri potest, habeatur. Quod ultimum sicuti *Diffe-*
ren.

rentiæ loco in Definitione posuimus: ita in reliquâ duo infra
inquisituri sumus.

§.6. Cæterum pretium facturi operæ sumus, si Panegyri-
cum nostrum in causis excutiamus, quantumque à laudativis
alijs orationibus distet, cognoscamus plenius. Causæ sunt, vel
externæ, vel internæ. *Efficiens* seu subjectum Panegyrici est per-
sona adultior, mascula, erudita & declamandi perita, Orator
verbis atque rebus augustus, splendidus, exercitatus & autori-
tate præditus. Esse autem debet persona (*α.*) *mascula* non fœ-
minea, quâ de re infra (*β.*) *adultior*: quia puerum neque decet
laudare viros, neque id præstare potest. Et, si maximè posset,
tamen non tam laudarentur viri illustres, quàm vituperarentur.
Legitur tamen, Julium ac Tiberium laudasse juvenes. Boxhorni-
us annorum circiter 18. Principem Auræcum laudavit. (*γ.*) *E-*
rudita & perita, id est, multijugâ eruditione atque declamandi
arte instructa & exercitata: sive sit Poëta, sive Orator. (*δ.*)
Gravis: quia magnos magna decet. Et à vili abjectoq; laudari
mancipio, non laudari, sed vituperari Personas Illustres, Au-
ctores consentiunt.

§.7. Finis Panegyrici vel est Externus; vel Internus. *Internus*
est, gloriosos viros & facinora egregia Patriæ bono edita lauda-
re: laudatione istâ ijs gratias pro meritis agere: & sic facta eorum
ebuccinando compensare. *Externus* consideratur, vel ratione
antiquorum, qui fuit, vel delectare populum; vel ludos sole-
mnes ac certamina exornare. Ratione recentiorum est (*α.*)
actum solemnem & publicum condecorare, id quòd in Comi-
tijs aliquando fieri solet. (*β.*) Ad imitationem similium virtu-
tum alios invitare. (*γ.*) Auditores delectare. Sed fines isti com-
munes ferè nobis cum antiquitate sunt.

§.8. Internæ Panegyrici causæ sunt, *Materia* & *Forma*.
Materia est quæstio seu objectum, circa quod versatur Panegy-
rista. Duplici autem ratione sese nobis offert materia. (*α.*) *Ra-*
tione antiquorum. Qui laudabant 1. *Deos*, Jovem Capitolinum,
Romulum Martis filium &c. Quintil. Inst. l. 3. c. 7. laudabant au-
tem Deos Hymnis, qui apud Homerum & Callimachum
legi possunt. 2. *Homines*: idque vel ludorum Præsidem, vel ali-

as illustres personas, ut apud Isocratem Evagoras Rex Cypri-
rum, Helena & Busirides: à Cicerone pro Marcello, Caesar, &c.
laudantur. 3. *Gens seu urbs.* 4. *Certamina & ludi cum autoribus*
eorumque origine. 5. *Premia.* (B.) *Ratione recentiorum,* Pane-
gyrici materia sunt personæ, vel sacræ vel profanæ. Sacræ sunt
1. *Deus* laudandus simpliciter; vel sicuti est in tribus personis.
Atque hoc jare Panegyricum Christo sospitatori *Ἐκδοτικὸν*
non tam pridem diximus. 2. *Facta divina,* tam, ut vocantur, ad
intra, quam ad extra. 3. *Angelus,* item Apostolus, Theologiæ
Doctor, nec non Maria Virgo: dummodo intra juris terminos
sele Panegyrista contineat, neque divinæ Majestatis attributa
& Effecta superstiosè iisdem attribuat. Profana Panegyrici
materia sunt homines illustres, & prolixè de bono publico me-
riti: Principes, Muretus. Orat. 24. & 26. Nobiles, Consu-
les, Patroni, Doctores, Episcopi aliique eruditi, Milites, *Q. Cur-*
tius de rebus gestis Alexand. M. lib. 7. Parentes, & consanguinei
Suet. in Casare. Solent quoque urbes, Academiae, Aeta & con-
suetudines solemnes celebrari: uti Urbs ob superatam obsidio-
nem & fidem Principi servatam: Transactio Passavien-
sis, & Reformatio Lutheri in Anni Jubilæi festivitate. Sed redu-
ctivè tantùm; quia festa hæc reducuntur ad personas, totaque
adeo laus ad easdem devolvitur.

§ 9. Formam Panegyricus habeat necesse est, qua dif-
ferat tam ab alijs Caussarum Generibus, quàm à Generis speci-
ebus; sed, quia ipsam §. 4. exposuimus, hic loci duo tantùm
querimus: num Panegyricus formam negotialis orationis ha-
beat? Aristoteles, eumque secutus Theophrastus, removisse vi-
dentur omne genus laudationum à pragmaticâ seu oratione
negotiali. Sed ijs Fabius l. c. *Romanus* inquit, *mos etiam nego-*
tij hoc munus (officium) inseruit. Nam & funebres laudationes
pendent frequenter ex publico aliquo officio, atq; ex senatus consul-
to Magistratibus sæpè mandantur.

§ 10. (2.) Quænam sit ordinis in Panegyricæ Orationis
Dispositione ratio? Duplicem Authores, & nos cum ijs statui-
mus. Prima est *naturalis* in quâ temporum & historiæ servatur
ordo. Dividimus scilicet orationem in ortum, vitam & mortem.

In

In ortu genus & patriam: quæ qualis, quantaque illa fuerit. *In vita* spectamus bona naturæ, corporis & fortunæ, institutionem, actiones & honores. *In morte* recitamus tum genus & causam mortis, vel violentæ pro patria; vel naturalis ob multos exactos labores. Post mortem pompa funebris, jactura Reipubl. luctus bonorum, vid. Voss. partit. Orator. l. i. c. 4. Et hic ordo commodissimus & captui Auditorum optimè inserviens est. Sed ne scholam redolet, floribus conspergi & acutis excitari sententijs solet. Adhibetur autem interdum à Mureto, Orat. 20. & 26. Fr. Junio, Majoragio, AUGUSTO, nostro totiusque Germaniæ Præceptore, Buchnero, vid. Panegyricos in laudem Sennerti, D. Rôberi &c. & qui jam in lucem prodit Illustris D. Messsch / cujus lectio eruditissimum quemque occupabit certè ac detinebit. *Altera* Dispositionis ratio est *artificialis*, quando omnia Personæ facta vel dotes ad certa Genera seu capita referimus, uti sunt bona animi, corporis & fortunæ. Exemplum habemus hujus in Maniliana, ubi Cicero ait, *Imperatori quatuor res inesse oportere: scientiam rei militaris: virtutem, auctoritatem & felicitatem.* Atque ad quatuor ista omnes Pompeji laudes reducit. Item in Mureto, Orat. 24. &c.

§. 11. Adjuncta sunt 1. *Locus* qui olim apud Græcos in campis Olympiacis &c. apud Latinos pro Rostris erant. Hodiè locum determinatum Panegyricus non habet. Fieri enim vel in Curia vel Athenæo, vel templo potest. 2. *Tempus* veterum fuit, tempus Ludorum, certaminum, Triumpho, vel concionis, aut solemnitatis alicujus. Hodiè fiunt in certis ac solemnibus quibuscunq; conventibus. Qui sunt vel *Politici*, ut Comitia, Conventus Provinciales, Funera, &c. vel *Ecclesiastici*, uti fiunt tempore Concilij, Synodi, Consistorij: vel Academici.

SECTIO IV.

Continens Axiomata

I. Oratio Demonstrativa Panegyrica est præstantissima

B 2

Quæ

Quia reliqua Causarum Genera eorumque argumenta ancil-
lari quodammodo Demonstrativo coguntur; jure itaque & or-
dine potior atque prior erit. Clamant ejus præstantiam sub-
jecti singularis qualitas: Objecti nobilitas: Auditorum sole-
mnitas & applausus. Olim Deliberativi Generis Oratio digni-
or longè erat, ob singularem ac frequentiore ejusdem pro-
concione usum: quales Q. Curtius, Livius & Tacitus habent.
multas. Et inde Aristoteles quoque à Deliberativo cœpit. Nihilominus Demonstrativa præstantior est 1. quia Deliberativa &
Judicialis Oratio dignitatem suam à Panegyrica, vel alia qua-
dam Demonstrativa, habuit sæpissimè, declamante Demosthe-
ne, Isocrate & Cicerone: 2. quia Deliberativi ac Judicialis ge-
neris Orationes hodiè ferè non funeratae sunt; cum Panegyri-
cae aliæque Demonstratae in magno sint pretio. 3. quia Demon-
strativa sua argumenta & vim alijs communicat. Ergo utilior
sit Deliberativa, dignior tamen Demonstrativa, necessum est.

II. Demonstrativa Oratio ut plurimum confirmatione & amplificatione gaudet.

Quippè luxurians diffundere sese per amplissimum Elc-
quentiæ campum solet. Amplificantur autem res & facta, 1. a-
scendendo ab Hypothesi ad Thesin; vel contrà v. g. laudando
Lucretiam descendo in castitatis laudes. 2. Individuorum
exemplis illustrando, quod generatim dictum est. 3. Circum-
loquendo, per definitiones aut descriptiones, easque conglu-
bando. 4. Usurpando species pro toto. 5. Adjiciendo causas,
effecta & accidentia. 6. Comparando à simili, pari. 7. Ab oppo-
sitarum & inter se pugnantium rerum conflictu. 8. Testimonijs
Bipatis condensatisque, &c.

III. Laudare Principes vi- ros

ros Panegyrico uti gloriosum ita difficile est.

Namque 1. ad omnes attendere Panegyristæ incumbit. Personæ seu rerum gestarum circumstantias, quibus singulis peculiarem affingere gloriam debet. 2. Nihil quicquam prætermittete, ne malam referat gratiam; neque supervacaneum addere, ne carbone adulatoris notetur. 3. Multi sunt ambitiosi, qui nullis exsatiari possunt titulis & laudibus: modestiores contra laudari se prolixè indignantur. 4. Universi populi iudicium subeundum est: & vel applausus, vel cachinnus, vel vituperium, orationis fructus est. Accuratus ergò & eruditus Panegyrista, nec non circumspectus esto.

SECTIO V.

Qu. 1. An tria tantùm sint Causarum Genera? Aff.

1. Quia tria tantùm sunt rerum & actionum tempora: præsens, præteritum & futurum. 2. Tria tantùm sunt Auditorum Genera: Senator in Deliberativo: Anscultator in Demonstrativo. Judex in Judiciali, *Obj.* 1. Status Conjecturalis. *Resp.* Hic ad Deliberativum optimè reducitur. *Obj.* 2. Genus Didascalicum seu Doctrinale. *Resp.* Genus hoc non continetur sub fine Rhetoricæ, qui est π persuadere: docet enim ad consequendam solum modò scientiam. Reduci tamen ad Demonstrativum potest. (Quamquam non tanti hæc controversia est momenti, ut à sententiâ, de re literariâ meritissimi Germaniæ Præceptoris, Melanchthonis recedamus omninò: siquidem, quod quartum addit Didascalicum Genus, in Schola & Ecclesiâ frequentatur, & auditorem habet discipulum. Cæterùm nec in foro, nec in Curia, nec in Panegyri ullum habet usum.) *Obj.* 3. Aliquot Ciceronis in Catilinam Orationes ad nullum referri possunt Genus. *Resp.* Mureto cum Vosio l. 1. c. 3. n. 3. referri eas omninò ad Deliberativum posse. In primâ enim Oratioe dissuadet, Catilinam

nam, conjugationis in Remp. reum, interfici: è contra, ut vel in
exilium eat; vel urbe ad bellum contra Patriam excedat, Cati-
linae suadet. In secundâ, post exactum urbe Catilinam, Quirites
ad urbis defensionem hortatur &c. Non sunt autem propte-
rea committendi viri celeberrimi. Ratio verò negationis Mure-
to fuerit fortean ista: quia Invectivarum istarum Genera non
sunt simplicia, non purè deliberativa; sed mixta cum alijs ge-
neribus. Prima siquidem ex Judiciali & Deliberativo: secunda
ex Demonstrativo, quia de ejecto Catilinâ civibus gratu-
latur: & Deliberativo, quod ad urbis defensionem eosdem hor-
tur. Tertia Demonstrativa tota est: quia continet Narrationem.
Imò Panegyrici speciem habere, vel ex ipsâ peroratione patet.
Quarta merè Deliberativa. Sed in relatione Oratorum talium ex
varijs caussarum Generibus mixtarum, à potiori esse denomi-
natio debet.

*Qu. 2. Vtrum in Genere Demonstrativo omnia
argumenta petantur ab honesto?*

Dubitationis ratio est: quia urbes, flumina ab honestate
commendari nequeunt. R. Distinguendo inter laudationem ab
honesto propriam ac directam, quâ personæ & facta: & indi-
rectam. Atque ita laudantur bruta, in quas virtus non cadit: non
propter honestatem simpliciter & directè; sed reductivè pro-
pter usum, qui ad honestas virtutum actiones facit multum.

*Qu. 3. An trium Generum fines veri sint, Hone-
stum, Utile & Jucundum?*

Sic vulgò docetur. Sed jucundum non est finis Orationis,
1. quia sub utili comprehenditur. 2. quia actio Oratoris, ceu
viri boni, intendit non voluptatem, sed honorem, utilitatemq;
publicam. Ergò jucundum non est finis alicujus distincti gene-
ris, neque tò *justum*, quod est orationis judicialis finis, ei substi-
tuitur, quartumq; caussarum Genus constituere potest.

*Qu. 4. Num Orationes Panegyricæ esse aliquando
possint Deliberativæ?*

Lau.

Laudatoriae solent esse aliàs. Re tamen ita poscente posset Deliberatio in publica etiam Panegyri institui, modò purè Deliberativa non sit; quin laudativa potius. Talis Panegyrici exemplum in Hocrate habemus in quà hortando Græcos ad suscipiendam contra barbaros expeditionem, sub specie suasionis. Athenientium laudes persequitur. *Obj.* Alexander M. quotiens non ad milites pro concione peroravit in genere Deliberativo, Q. Curt. l. 7. &c. R. Imperavit suadendo, quæ facere antè decteverat. Fuit enim Imperator, non Orator, & quidem Panegyrista. Nullos igitur Panegyricos dixit.

Qu. 5. An funebris vitæ curriculi, finitâ sacrâ concione, è suggestu recitatio, sit Panegyricus in defuncti laudem?

Laudativa esse recitatio potest: sed non Panegyricus. Rationes sunt, 1. quia Panegyricus non recitat laudes tantùm, sed confirmat & amplificat etiam. At hoc in recitatione illa non fit. 2. Panegyricus ex Oratoris mente & ore fluere debet: illa verò ex Notarij instructione legitur. 3. Panegyricus esse debet in publico & frequentia: illa Recitatio in amicorum tantùm invitatorum & paucorum aliorum fieri solet. 4. Panegyricus personas illustres, ac non nisi de Republicâ prolixè meritos eosque paucos & rarò laudat: in funere autem omnes promiscuè semper, indifferenter s. meriti s. immeriti laudantur. 4. Panegyricus est solemnis oratio, & delectat; illa autem vitæ curriculi recitatio non est solemnis, neque delectat. Ergò feralis illa vitæ curriculi recitatio non est Panegyricus. Idem esto iudicium, de usu recepta illa post defuncti humationem, quæ in rotâ (ita eos appellabo) Exequiatorum fieri solet, breviculâ Parentatione.

Qu. 6. An festivales, Magnæ & solemnes conciones, (vulgò die Hauptpredigten in den Seyertagen/) sint Panegyrici?

Siquidem (α.) in solemnitate annua, (β.) ludis sacris (γ.) in magno hominum confluxu (δ.) cum voluptate, lætitiâ atq; applausu Spirituali (ε.) & laudatoriae Divinæ bonitatis sunt & gra:

gratiarum actoria in Demonstrativo genere composita: utiq; affirmanda erit quaestio. Accedit quod distingui hodiè Panegyricus in Politicum Academicum & Ecclesiasticum possit.

Qu. 7. Ratione Subjecti quaerimus (a.) Vtrum artis Oratoriae imperitus, eloquentiae rebus destitutus, atq; ad perorandum parùm idoneus perorare; ac (b.) in specie viros Principes bene meritos laudare Panegyrico possit & debeat?

Temeritatis magnæ, tam is, qui ita auderet, quàm nos, qui hoc ipsi concederemus, ab universo Eruditorum orbe postulareretur. Denegamus itaque imperito officium (1.) quia laudandi rationem ignorans quomodo laudabit? Num obiter? At hoc esset virtutes laudesque bene meriti, ingenij sui culpâ deterere. Uti magna merita magna præmia; ita illustres personæ illustres & magnificas requirunt laudationes. (2.) quia Panegyrista delectare auscultatores suos debet. Jam quo eos delectabit pacto? Oratione? At nulla ibi elegantia, nullum argumentorum pondus, nullus nervus, nulla magnificentia est. *Obj.* Eruditus, licet Orator professione non sit, præstare ista interdum debet. *Resp. distingu.* 1. inter eruditum generaliter, & eruditum in certâ specie; Oratoria scil. facultate & arte instructum. *Dist.* 2. inter Orationem in genere qualemcunque, quod concedo; & Panegyricam, quod ei nego. Quemadmodum enim illa non usque adeò accurata est: ita hæc exactam limam & ægrius in sui elaboratione requirit. *Dist.* 3. inter casum ordinarium: & necessitatis, ubi sc. Oratoris copia haberi nequit. 4. Præstare ista aliquando & non Orator debet; sed si potest. Conditionis ratio est: quia Eloquentiâ singulare Dei donum est, Es. 33. & paucis datur, Exod. 3: 10. Et quemadmodum dono isthoc destitutus Theologus concionari neutiquam aut ægrè potest: ita Panegyrista, cui non tam facilè defectus aut balburiei venia datur. *Interesse enim Reipublicæ, clarissimarum virtutum exempla nosci, Romani censebant, Buchn. Vol. 2. Diss. 48 p. 241.*

Q. 8. Num

arte, exercitationeq; instructos: & qui jejuniore adhuc sunt. Illis concedimus, his Cathedrâ interdiciamus: siquidem Panegyricus, ingenij exercendi causâ, in publico nequaquam dici cum applausu solet. Sensit hoc Demosthenes, qui in primo Eloquentiæ Tyrocinio, præ timore fremitum multitudinis sustinere non potuit: adeo ut ob ineptam verborum pronuntiationem à populo explosus domum sese, capite obvoluto & animo abjecto, receperit. Postea verò assiduâ exercitatione tantas in dicendo vires acquisivit, ut eum potentissimus Macedoniae Rex supra armatas Atheniensium comas timeret. *Flur. in Dem.*

Qu. 10. Vtrum Deo & Angelis Panegyricus sit dicendus?

Quæstio bimembris est. 1. de Deo, 2. de Angelis. Posterioris negativa placet cuidam ex eo; quia, quicquid virtutum in Angelis est, illud totum DEI est. 2. Quia conservi sunt nostri, Apoc. 19: 10. Nisi Angelus ille fuerit increatus v. g. Michael, Apoc. 12. Sed & dotes Eruditorum dona sunt Dei; quæ tamen laudantur. Deinde, commilitones quoque laudari posse, fuisseque laudatos, Historiæ Græcæ & Romanæ abunde docent. Prius membrum affirmamus nixi a. mandatis Spiritus S. Psal 22: 24. & Ps. 148. *in Ecclesiâ magnâ laudabo te, Ps 100. & 113. B. exemplo Davidis Ps. III. Confitebor tibi Domine in concilio justorum & congregatione.* In Psalmo verò 78. egregiè dispositum Panegyricum idem Rex Deo dicit, ad universum Israellem, ut & Ps. 106. Dixit eundem Moses alijsq; sancti homines. Quidni & nobis liceret, Deum ac sospitatorem nostrum Panegyrico laudare?

Qu. II. Vtrum Apostolis, Matri Virgini, Martyribus, alijsq; sanctis atq; egregiis Dei viris Panegyricus dici debeat?

Utique 1. propter strenuam, indefessam, ad rogum usque & sanguinem Christo præstitam Evangelij professionem. 2. Neque virtutes eorundem, fides, integritas, constantia, pietas, zelus suis laudibus privari debent. Vita quippè mortuorum consistit in memoriâ vivorum. 3. Quod si viri illustres seculares post fata laudantur: cur non Spirituales etiam, qui triumphato Sathæ

thana, mundo & peccato, gloriose occubuerunt, aeternae felicitati superstites. Distinguimus tamen inter laudationem officiosam s. Politicam, quam concedimus: & inter laudationem religiosam atq; divinam. Quae uti soli Deo debetur, ita superstitione sanctos, Deiparam Virginem, Pontifices & Episcopos, fato suo defunctos, eadem prosequuntur Oratores Pontificij, Muret. Or. 26. Iosephus Scaliger in suis Poemat. atque Hymnis.

Q. 12. An Foeminae illustres celebrari Panegyrico debeant?

Affirmamus 1. ratione aequitatis. Namque justum & aequum est merita praemijs, beneficia gratijs atque laudibus compensari. 2. Exemplo Octavij Augusti, qui, annorum duodecim puer, JULIAM aviam pro concione laudavit. *Suet. in Aug. Octavio.* 3. Consuetudine recepta. Excepta olim est Oratioe satis magnifica, Lugduni Batavorum, Magnae Britanniae Regina Henrica Maria, a M. Zuerio Boxhornio. Item Galliae Regina Medicea, Amsterodami. Regina olim Suecorum CHRISTINA. Immo omnes ubique personae excelsae Orationibus & Panegyricis, salutantur, laudantur & honorantur. Hic vero in Saxonia etiam parentationibus minoribus interfunt.

Q. 13. An puero nobili defuncto Panegyricus sit dicendus?

Negativa (salvo Eruditorum iudicio) probabilior videtur. Ratio: quia Oratio Panegyrica copiosam habere laudum materiam debet. Haec autem in puero, genere duntaxat illustri, deest. Neque exempla hujus rei adeo multa sunt. Distingu. porro inter laudationem *directam*, qua persona proprijs suis laudibus & sola quidem celebratur: & *indirectam*, qua non tam persona, quam genus ejusdem illustre laudatur, atque ita puer illustris, non sua, sed majorum gloria virtutibusque condecoratur. Indirecte etiam laudaretur nobilis puer, si ex indicijs atque ingenio spes virtutum atque futurorum in patriam meritum exaggeraretur.

Q. 14. Vtrum Orator seipsum pro concione laudare possit?

Questionis ratio est: quia Cicero, in tertia contra Catilinam Oratione, primum narrat, sua vigilantia atque auctoritate cognitam conjurationem: urbe ejectum esse Catilinam: complices & conjuratos in custodiam datos. Deinde, gratias eo sibi nomine a Senatu actas & supplicationem sibi ab eodem ad omnia pulvinaria decretam, refert. Gloriosa sane ista in Peroratione sunt verba: *Ita me, inquit, gessi, Quirites, ut omnes selvi conserva-*

servaremini &c. & urbem & civeis integros, incolumeisq; servari Quibus pro
tantis rebus, Quirites, nullum ego à vobis premium virtuti, nullum insigne
honoris, nullum monumentum laudis postulo, præterquam hujus diei memori-
am sempiternam. In animis ego vestris omnes triumphos meos omnia ornamen-
ta honoris, monumenta gloria, laudis insignia condi & collocari volo. Resp.
Cicero hic loci Consul Senatus Romani atque adeò totius Reipub. causam
agit & sustinet. Non itaque se laudat; quin potius Senatui Populoque
Rom. liberationem & incolumitatem gratulatur.

**Q.15. An laudatio Personæ, solemnibus cantu musicorumq; in-
strumentorum pulsibus facta, dici Panegyricus possit?**

Neg. Quicquid enim est Panegyrici accidens & ornamentum extrin-
secum, quod adesse, & abesse potest, sine subjecti interitu; illud Panegy-
ricus esse non potest. Sed Musica illa laudatio, cantus, organa Musica sunt
accidentia. E. Nec aliter sese habent cantus ac instrumenta Musica ho-
diè: Item tapetes, quibus parietes & rostra investiri solent. *Obj.* Cantu Musico
recensentur & laudantur facta virtutesq; personæ. *R.* Sed non in Panegy-
ra. Nisi quis, non laudato à Politicis, exēplo Neronis tueri hoc velit, qui cum
Græculis citharædis in theatris, ludis, certaminibusq; cantabat, *Suet. in
Nerone 2.* Erit ergò *ἐκταῖς κώμας*, quod ἐν ταῖς κώμας, in vicis & plateis, & hic
Wittebergæ, nocturnâ & musicâ gratulatione, fieri non sine pompâ solet.

**Q.16. An Oratio (α.) scripta & non recitata (β.) non reci-
tata lecta tamen, Panegyrici titulum habeat?**

*Negat Vossius, Instit. Orat. lib. 1 c. 5. Multò minus Panegyrica dici me-
rentur, quæ tantùm recitata paucis, vel etiam nunquam recitata, nec scripta ut
recitarentur, sed ut legerentur. Pace tamen viri tanti negativam tuebimur.
1. lectio & ex memoriâ recitatio habent se ad Orationem, ut accidentia.
Hæc autem rei essentiam non tollunt. 2. quia Panegyricum uti scribere a-
ptè datum paucis est: ita quæis datum est, non omnes memoriâ in prom-
ptu habent. 3. Dubito valdè omnes Orationes apud veteres memo-
riter esse recitatas: siquidem & Codicillos adhibebant & Nomenclatores
memoriæ subsidia. 4. Distingu. inter Panegyricum propriè & strictè sic di-
ctum, qui inscribi v.g. solet: *Panegyricus memoriæ & virtutibus N.N. dictus*
& abusivè seu latius sumptum. Et hic inscribi potest: *Panegyricus Augusto
Imperatori inscriptus.* 5. Plinius in Senatu Trajano Imper. oratiunculâ gra-
tias pro consulatu egit; quam tamen auctam & elaboratam postea Panc-
gyricum inscripsit.*

SOLI DEO GLORIA.

pro
ne
ori-
en-
elp.
am
ne
in-
rin-
gy-
unt
ho-
fico
gy-
um
. in
hic
t. r
eci-
me-
ent
nur.
ia.
e a-
om-
mo-
ores
e die
tus
usto
gra-
anc-

05 A 1229

ULB Halle 3
003 766 020


WONA







...i Seminib
ORATORII
TIO
AUSSARUM:
...strativa,
RICO:
Altissimi,
... Salvatoris
Academia
E
HERBINIO;
...quisitioni
OTLEBEN
...matutinis.

Æ
ERUS, Academ. Typogr.